



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Ambrosisus Sansedonius C. 20. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

20. Mart. VITÆ SANCTORUM. 191  
dis etiam iste admovendus, cum ex  
WULPHRANNO intellectisset, Majo-  
res suos, Ducesque Frisonum omnes (qui  
quidem superstitioni dediti fuissent) in-  
feris damnatos esse, exclamavit improbo  
joco, malle se cum pluribus & Majori-  
bus suis etiam apud inferos, quam sine  
his, & cum pauculis aliis apud Superos  
degere. In hâc sententiâ ludibria dæmo-  
nis mali firmarunt, qui aureos illi mon-  
tes, certè aurea palatia pollicitus est. Et  
jam iverat legatus à Radbodo missus,  
qui Deorum munera inspiceret: jam in-  
specta probaverat oculus fascinatus, cum  
socius, quem WULPHRANNUS addi-  
dit, vana ædifica unico signo crucis om-  
nia destruxit. Radbodus intereâ priùs,  
quam nuntii redirent, ad illos suos plu-  
res abiit. Ex Lippeloo.

Renovetur cor a carnalibus desideriis, ut  
exclusis illis introducatur amor Dei &  
amor patriæ cœlestis: recedant ab ore arro-  
gantia & derogatio, & succedant peccato-  
rum confessio & bona de proximis aestima-  
tio; assumatur continentia & innocentia,  
ut contrariis virtutibus contraria vicia de-  
pellantur. S. Bern. sent.

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C.  
20. Martij.

S Enis ortus AMBROSIUS SANSE-  
DONIUS natalem noctem commu-  
nem cū D. Thoina & Jacobo Meyaniensi  
ha-

192 VITÆ SANCTORUM. 20. *Mart.*  
habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo Luna notavit; manè dejnde vox probavit pueruli *ad scholas*, *ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porro A M B R O S I U S infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde D. Domini-  
ci rupit. Viros Religiosos in nutricum brachiis risu salutabat, nec alio magis quām imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras oscula fatigans. Jam septennis VIRGINIS officium quotidie solitus est persolvere: novennis vero jejunia pane & aquâ sancta habere: insuper quot hebdomadis, die Matri Virginis dicato, Ut regentes hospitio excipere, ut illud etiam Angeli ambirent, & modulos suos adderent. Fugam è mundo meditanti, & declinanti, nescio quod, epulum geniale, Proteus Orci eremicolam mentitus suadere cœpit, primam etatem suo exemplo voluptati libaret, senectutem Deo litaret. At improbum consiliarium A M B R O S I U S signo crucis pepulit. Jamque D. Domini-  
ci, jam Alb. M. discipulus, mox ipse Doctor sacrarum literarum Lutetiarum, tum Coloniae fuit. Atque ut sciremus unde doctrinam suam haberet, visa est palam Divina columba in aures loqui A M-  
B R O S I O, quæ ille ad concionem clamaret. Ex Ann. Dominic.

Q se-